



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXXX. De Sacro Ordine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

dente distribui non potest; unde antiquitus indulgentias per tria CCC obtineri oportere dicebatur; nempe per *Contritionem, Confessionem, Contributionem* ad defensionem Ecclesiae, contra Infideles & Rebelles Ecclesiae, vel pro reparatione Ecclesiarum, Viarum, Pontium &c. Ut explicat Joannes Kaiserperger Dominica 2. post Pascha, cui consentit Godeschalchus relatus ab Hailbrunner. Quod si abusus aliqui irrepant, non id Ecclesiae, sed aliorum vitio accidit, cum Ecclesia illos vehementer caveri mandet, ut videre est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in eius decreto legitur de moderandis indiscretis indulgentijs; quod etiam fecit Concilium Viennense Lugdunense, Tridentinum Sess. 25. Nonnullos ex Catholicis Doctoribus de Indulgentijs quaedam non satis apprehendisse, ideoque incaute de iisdem scripsisse, non ignoramus. Sed isti non fecerunt id animo obstinato, sed parato ad correctionem, si aliud ab Ecclesia teneri intellexerint. Quod verò vel D. Bonaventura vel alius unquam Catholicus Doctor scripserit aut docuerit, Indulgentias esse pias fraudes Papae vel Matris Ecclesiae, est longè falsissimum, & palmaris ac prorsus adipata ac pinguis calumnia Novatorum, qui ex mendacijs compositi pridem omnem frontem exuerunt & fidem perdidit.

XVIII. *Error secundus*, Indulgentijs animas in Purgatorio juvari non posse. Ita omnes Sectarij, qui purgatorium negant. Nominatim verò indulgentias pro defunctis hic oppugnat Petrus Molinaeus in suo novo Papatu fol. 632. Tum auctoritate Gelasij Papae in commonitorio ad Faustum Legatum, ubi ait, *Scriptum esse, quicquid solveris super terram: non infra terram &c.* Tum quia facultas Apostolis concessa à Christo consistit inseparabiliter in solvendo aequè ac ligando. Atqui Papa non habet potestatem in animas defunctorum ligando eas in purgatorio. Ergo nec solvendi. Tum quia si Papa habet potestatem animas in purgatorio solvendi, cur non omnes liberat?

XIX. Hunc errorem rejicit Ecclesia, dum damnat anathemate negantes purgatorium. Et communis est doctrina omnium Doctorum Catholicorum, Papam seu Ecclesiae Pastorem & Spiritualem Thesaurarium offerre atque exhibere DEO satisfactiones Christi ac Sanctorum pro liberatione Animarum è purgatorio; atque hoc est, quod ajunt, *Indulgentias prodesse animabus defunctorum per modum suffragij.* Ratio hujus est, quod Fideles in purgatorio adhuc vinculo Fidei Spei & Charitatis vivis in Ecclesia militante conjuncti sint, ita ut simul unum corpus Ecclesiae efficiant, ut testatur S. Augustinus Lib. 20. de Civitate DEI cap. 8. *Neque piorum, inquit, anima mortuorum separantur ab Ecclesia, qua etiam nunc est regnum Christi.* Alioquin nec ad altare DEI fieret eorum memoria in communionem Corporis Christi. Hinc fit, quod etiam privatae personae opera mortificationis suae, hoc est, jejunium, disciplinam cilicium, elemosynam &c. per modum suffragij defunctis applicare valeant. Si autem privatae personae ex suis succurrere ac juvare animas defunctorum possint, cur Papa id nequeat ex communi thesauro Ecclesiae, cum iste thesaurus ejusque dispensatio ipsi fuerit commissa? Non expectent Novatores aliquid indulgentiae post mortem; quia non venient ad purgatorium, alibi verò, nempe in inferno, quo

properant, indulgentia non obtinetur, sed aeternis atque inextinguibilis ignis suffinetur.

XIX. Respon. ad 1. Gelasium Papam loqui de solutione judiciali; Papa autem non concedit defunctis indulgentias per modum absolutionis judicialis, sed solummodo per modum suffragij. Constat autem ex recens dictis, inter illos, qui sunt supra & infra terram in purgatorio, aliquam intercedere communicationem meritorum ac satisfactionum. Quamvis igitur Anima in purgatorio Papae jurisdictioni & potestati judiciali subiecta amplius non sint, adhuc tamen spiritualium bonorum capaces existunt, quae bona Ecclesiae eisdem communicare vult. Ad 2. verum est, quod potestas judicialis absolutionis inseparabiliter unita sit potestati judiciali ligationis. Papa autem non liberat animas è purgatorio per modum judicialis absolutionis, sed per modum suffragij duntaxat. Ad 3. Cur Papa non omnes animas simul è purgatorio liberet, noverit ipse. Et quia DEUS eidem spiritualem Ecclesiae thesaurum commisit, sciet etiam, quo modo hunc ita expendat, ut ad DEI gloriam cedat. Caveant autem haeretici, ne DEUM etiam crudelitatis incensent, quod in uno momento non omnes homines salvet, cum facillimè possit. Misericordia quidem agnoscatur, sed Justitia non prorsus arceatur.

\*\*\*\*\*

## CONTROVERS. LXXIX.

### DE SACRO ORDINE.

DE hoc sacro Ordine, & hominibus ad ejus dignitatem erectis Gelasius Papa in Epist. ad Anastasium Imperatorem sic scribit: *Duo sunt, Imperator, quibus principaliter hic Mundus regitur. Auctoritas sacra Pontificia: & Regalis Potestas; in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam de ipsis Regibus hominum in divino judicio sunt reddituri rationem. Potest & solet Ordo accipi aliquando passivè, hoc est, pro gradu ipso v.g. Diaconatus & Presbyteratus &c. Et hoc modo est effectus, & non Sacramentum, ut ex dicendis constabit; aliquando accipitur activè pro ipsa actione, quae confertur potestas; Atque hoc est Sacramentum, de quo in praesenti.*

\*\*\*\*\*

### PARS PRIOR.

#### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Ordo est ceremonia sacra, quae ordinato conceditur potestas ad aliquod Altaris officium stabiliter peragendum. Ita cum Magistro sententiarum in 4. Dist. 24. communiter alij Doctores Ordinem definiunt: *Signaculum quoddam Ecclesiae, quo Spiritualis potestas traditur Ordinato.* Unde Ministerium hoc revocari, aut deleri nunquam potest, tamen ejus exercitium suspendi queat, ut dixit S. Augustinus Lib. de bono conjugali. c. 24. Et Tertullianus Lib. de Presbyteris advertit, *haereticorum proprium esse, ut eras sint Laici, qui hodie sunt Ministri.* Sola etiam haereticis

hæresis ministerium cultûs divini sine sacerdotio & sacrificio introduxit, instituitque, cum tamen nulla unquam gens aut natio hominum fuerit, quæ ex lumine naturæ aut verum DEUM aut falsos colens non etiam Sacerdotium & Sacrificium ad Religionis cultum instituerit, atque ordinaverit.

II. *Doctrina secunda.* Ordo est Sacramentum verum à Christo institutum partim ante, partim post Resurrectionem. Prima pars definita est in Concilio Florentino in decreto Fidei post Sess. ultimam §. sextum Sacramentum. Et in Tridentino Sess. 7. can. 1. & Sess. 23. can. 3. istis verbis: *Siquis dixerit, ordinem seu Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse signum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quemdam eligendi Ministros Verbi DEI & Sacramentorum, anathema sit.* Probat 1. ex S. Script. 1. ad Timoth. 4. v. 14. ait D. Paulus: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Ubi per vocem *Prophetiam* ex probabilis interpretatione denotatur forma verborum adhiberi solita in impositione manuum & ordinatione presbyterorum; consuetà nimirum Sacræ Scripturæ phrasi vocantis prophetiam omnem divinum sermonem. Quod autem illa manuum impositio sit gratiæ causa, clarè indicatur ab eodem Paulo 2. ad Timoth. 1. v. 6. dicente: *admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum;* ubi per nomen gratiæ denotari non solum potestatem consecrandi, offerendique sacrificium, sed etiam ipsam gratiam habitualem, colligitur apertè ex ratione, quam vers. 7. subiungit Apostolus, cur Timotheus debeat gratiam resuscitare, scil. quia *DEUS non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis.* Atqui Spiritus virtutis, dilectionis, & sobrietatis est charitas gratiæque justificans. Ergo per impositionem manuum hæc gratia confertur. Deinde ad ritè peragendam consecrationem, offerendumque sacrificium gratia habitualis est necessaria; quæ proinde simul cum illa potestate conferri debuit; cum præsertim collata fuerit per ceremoniam & ritum externum; firmum ac stabilem, nempe manuum impositionem, cujus etiam mentio fit in ordinatione Diaconatus Actor. 6. v. 6. Et generatim in ordinatione Ministrorum Ecclesiæ 1. Tim. 5. v. 22. *manum nemini citò imposueris;* olim enim hæc manuum impositio fuit in Ecclesia ceremonia, quâ ministri Ecclesiæ constituerentur & destinarentur. Habentur igitur, in ordinatione intervenire signum sensibile, causativum gratiæ, adeoque totam essentiam Sacramenti.

III. Probat 2. ex perpetua Ecclesiæ traditione, cujus testes sunt Concilia & Pontifices summi, & Patres. Ex Concilijs habemus Chalcedonense Act. 15. can. 2. Braccarense II. can. 3. Carthaginense IV. can. 2. in quo ordinationem Episcopi, & can. 3. in quo ordinationem Presbyteri præscribit ijs ritibus & verbis, quibus Sacramentum est assertum. Florentinum consentientibus Latinis & Græcis. Tridentinum Sess. 23. c. 2. & can. 3. Ex Pontificibus summis habemus Innocentium I. Epist. 18. ad Alexand. ubi Ordinem cum Baptismi Sacramento confert. Leonem I. Epist. ad Dioscorum Alexandrin. 81. c. 1. ubi Ordinationem Sacramentum vocat, idque non nisi à

jejunis suscipiendum & administrandum. Et Epist. 87. c. 1. de ordinatione agens, quæ, inquit, *dissimulare potest, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam.* Similia habent Anastasius II. epist. ad Anastasium Imperatorem cap. 1. Gregorius M. Lib. 4. in Lib. Reg. cap. 5. ubi ibidem de ordinatione agens ait, *is, qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Ex Patribus habemus Dionysium Areopagitam L. 2. de Eccles. Hierarchia c. 5. quem numerare ordinem inter Sacramenta, agnoscit etiam Luther. Lib. de capt. Babyl. Hieronymum, qui toto libro contra Luciferanos Ordinationem cum Baptismo confert. Chrysostomum Lib. 3. de Sacerdot. Ambrosium Lib. de dignitate Sacerdotali c. 5. Augustinum Lib. 2. contra Parmenianum c. 13. ipsimet, inquit, *explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinis possit amitti? si enim utrumque Sacramentum est, ut nemo dubitat, cur istud amittitur, & illud non emittitur? neutri Sacramento injuria faciendæ est.* Similia habet alibi, & hac in re notandum est, S. Patrem non loqui ex sua solam sententia, sed ea, quæ tunc temporis universalis fuit Ecclesiæ. Probat 3. ex consensu Scholasticorum Magistri in 4. Dist. 24. D. Thomæ ibid. quæst. 1. art. 1. & in suppli. q. 34. a. 1. 2. 3. & cæterorum, ex quibus omnibus nec unus est, qui de hoc Sacramento dubitet. Cujus denique ratio est. Quia omnis cæremonia visibilis stabilis, & à Christo instituta in pignus gratiæ est verum Sacramentum; Atqui Ordo est talis cæremonia visibilis, stabilis à Christo instituta, in pignus gratiæ, ut ex dictis patet. Ergo est Sacramentum.

IV. Altera pars doctrinæ nostræ videtur communis Doctorum, quam speciatim tradit Vasquez in 3. Part. D. Thomæ. Tom 3. D. 235. c. 3. num. 23. & sumitur tum ex illo Lucæ. 22. v. 19: *Hoc facite in meam commemorationem;* ubi Christum ordinasse Apostolos Sacerdotes, definit Tridentinum Sess. 22. cap. 1. & can. 2. tum ex illo Joannis 20. v. 22: *hæc cum dixisset, insufflavit & dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quam potestatem absolvendi pertinere ad Sacerdotij ordinem, patet ex ijs, quæ in Contr. de Pœnit. diximus §. XVI. Accedit, cum nusquam constet, Christum ante Resurrectionem disertè explicasse, vel instituisse singulorum reliquorum Ordinum potestatem, credibile est, eos aut omnes aut falem ex majore parte post Resurrectionem suam exposuisse diebus illis quatragesima, quibus præbuit seipsum vivum apparens & loquens de regno DEI. Actor. 1. v. 3.

V. *Doctrina tertia.* Ordines in Ecclesia sunt septeni, scil. Sacerdotium, Diaconatus, subdiaconatus, Acolyrhatus, Exorcismus, Lectoratus, Ostiatoratus. Sacerdotij autem complementum est Episcopatus. Ita definit Tridentinum Sess. 23. cap. ult. Et can. 2. Probat 1. hæc veritas ex testimonijs veterum Patrum, qui hos Ordines tanquam rem minime in Ecclesia novam, sed ab Apostolis acceptam commemorant. Cornelius Papa, qui ante 1300. annos præfuit Ecclesiæ, in epist. ad Fabianum Antiochenum Episcopum scribit, *suo tempore fuisse Romæ Presbyteros quatragesima sex: Diaconos septem, totidemque subdiaconos: Acolyrhos quatragesima duos: Lectores, Exorcistas, Ostiarios in universum viginti quinque.* Plures Patres videri possunt apud Valentiam Tom. 4. Disp. 9. Q. 1.

pun. 2. Unde D. Augustinus pulchrè huc accommodat illud Psal. 47. juxta interpretationem septuaginta: *DEUS in gradibus ejus cognoscetur*, hoc est, in *Gradibus Ordinum*. Congruentia hujus numeri desumenda est à fine, ad quem omnes hi Ordines instituti sunt, atque deserviunt. Singulorum officia breviter perstringendo.

VI. Sacerdotalis ordinis officium est, sacrificium DEO offerre, & homines eidem reconciliare. Diaconi, in sacrificio sacerdoti ministrare, calicem (si in usu esset) populo concedere, baptizare, & prædicare ex Sacerdotis commissione. Subdiaconi munus est, ministrare Diacono in ijs, quæ ad sacrificium peragendum fuerint necessaria, præparare aquam ad Altaris ministerium, porrigere calicem & patenam in usum sacrificij, pallas & Corporalia abluerè. Acolythi est cerosarium ferre, lumina Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare, ideoque Diacono & subdiacono in servire. Exorcista est, dæmones ex obsessis eicere, ut dignè sacrificio assistant, & aquam in ministerium Baptismi præparare, locumque communicaturis concedere. Lectorum est, legere & canere, quæ à Sacerdote prædicantur, & quæ ipsolim extra missam annunciabant, ut sic præsentium animi ad reverentiam excitentur. Ostiarij denique munus est, pulsare cymbolum tempore sacrificij in illius honorem, aperire templum & Sacrarium dignis, & librum ei, qui prædicat; dignis, inquam, quia in Ecclesiam admittere non debent infideles, ne divinorum spectatores & irrisores sint: item excommunicatos, utpote à Fidelium communione præcisos. Hinc apparet, quare Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus dicantur Ordines Sacri & Majores: Acolythatus autem Lectoratus Exorcismus & Ostiariatus nec sacri nec majores appellentur. Nempe Majores vocantur, quia sacrificio Altaris, ad quod omnes ordines diriguntur, proximè inserviunt, alij remotè: Sacri verò, quia forsam ipsi solum sunt Sacramenta, non autem quatuor Minores: & præcipuè, quia votum castitatis habent annexum, quo homines in DEI cultum sacrantur.

VII. *Doctrina quarta.* Prima Tonsura non est ordo strictè loquendo. Ita communis Theologorum, quidquid nonnulli secus putarint. Probatur. Tum, quia nec in Pontificali Romano, nec in Concilio Tridentino Sess. 23. c. 2. Et can. 2. cit. ubi distinctè ordines recensentur, usquam prima Tonsura vocatur ordo, sed ab ordinibus potius distinguitur, & sejungitur. Tum quia per illam non confertur potestas specialis ad functionem certam & specialem in cultu DEI & ordinatione ad peragendum sacrificium, sed solum constituitur Minister Ecclesiæ (quod est omnibus Ministris Ecclesiæ commune) & est quasi aditus & dispositio & præparatio ad Ordines recipiendos efficiens Clericum, & secernens à Laico, sicque tribuens privilegium immunitatis Ecclesiasticæ & capacitatem beneficiorum.

VIII. *Doctrina quinta.* Episcopatus est quidem Ordo, non tamen diversus à sacerdotio, sed illud perficit & complet. Ita Card. Bellarminus Lib. de Sacram. Ordinis c. 5. Vasquez Disp. 240. c. 5. Coninck Disp. 20. dub. 2. in fin. Layman L. 5. Tract. 9. c. 3. n. 6. & plures alij. Pri-

or pars manifestè habetur in Trident Sess. 23. c. 4. ubi asserit, ad Ecclesiasticam Hierarchiam & omnem Episcopos specialiter pertinere, Superiores sacerdotibus. Posterior pars probatur. Quia, licet cæteri ordines habeant inter se aliquam subordinationem, vi cujus tanquam partes heterogenæ constituant unam infimam speciem Sacramenti: & per se loquendo, non liceat recipere superiorem non accepto prius inferiore, hæc tamen graduatio non est ordinibus ita essentialis, ut collatio superioris non valeat sine inferiore præsupposito e. unico de clerico per saltum promoti. Et teste D. Thoma in 4. D. 24. q. 1. art. 2. quæstium. 1. in primæva Ecclesia ordinabantur Presbyteri non acceptis prius ordinibus inferioribus, qui tamen omnia poterant, ac si inferiores prius accepissent, quia inferior comprehenditur in superiore. At verò Episcopatus essentialiter præsupponit Presbyteratum prius collatum, & sic est modificativus hujus, cui accedit, sicut virilitas juventuti, ac proinde non est causa distinguendi, ordinem Episcopalem à Presbyterio, sed potius est fundamentum dicendi, quod unum ordinem constituent. Item quemadmodum potestas absolviendi à peccatis, quam Christus Dominus Joan. 20. cit. Apostolis contulit, & quæ in ordinatione sacerdotibus communicatur illis verbis: *accipite spiritum sanctum, quorum remisit peccata &c.* non constituit distinctum ordinem ab eo, quem constituit potestas Corpus & sanguinem Christi consecrandi, quia hanc essentialiter in subiecto prærequirit. Sic potestas concessa Episcopis in eorum consecratione; quia essentialiter sacerdotalem potestatem subiecto concessam supponit, non constituit ordinem distinctum ab ordine prædicto sacerdotalis potestatis, sed illum supplet, perficit, & extollit. Non obstat his Anacletus Papa epist. 3. c. 1. aiens, *sacerdotum ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Et infra: *amplius, quam isti duo ordines sacerdotum.* Non obstat, inquam, quia loquitur de ordine incompleto, & non adæquate perfectio secundum quam rationem Sacerdotium ab Episcopatu distinguitur, duoque ordines sacerdotij enumerari possunt; alter incompletus & imperfectibilis, qualis est simplicium Sacerdotum: alter completus & perfectus scil. Episcoporum. De charactere Episcopali dicemus infra. Videatur Bellarminus loc. cit.

IX. *Doctrina sexta.* Sacerdotium est verum Sacramentum. Ita omnes Catholici ex Tridentino definiente Sess. 23. c. 3. can. 3. *Sacram Ordinem esse Sacramentum*, quod saltem de præcipua ordinatione verum esse debet. Adhæc can. 4. ait. *Concilium, per Ordinationem communicari Spiritum Sanctum illis verbis: accipite Spiritum Sanctum, & imprimi characterem, ita ut qui semel Sacerdos fuit, Laicus esse non possit.* Sed hæc stare non possent, nisi Ordo Sacerdotalis foret Sacramentum. Ergo &c. Duplex autem potestas confertur in Sacerdotali ordine, nempe consecrandi & absolviendi, quarum illa necessariò supponit illam, non vicissim; utriusque tamen collatio Sacramentum est, quia est signum sensibile, quo Spiritus Sanctus communicatur; priorem dedit Christus in cœna dicens: *hoc facite in meam commemorationem*; posteriorem post resurrectionem ajens: *accipite Spiritum Sanctum &c.* Inde tamen non duplex fit Sacramentum, quia utraque potestas ad completum ordinem spectat: neque

neque duplex imprimatur character, sed impressus in potestate conficiendi Sacram Eucharistiam ex DEI ordinatione destinatur ad potestatem absolvendi à peccatis absque alia intrinseca mutatione.

X. *Doctrina septima.* Episcopatus etiam, quæ talis, est Sacramentum, attamen incomplete solum à Sacerdotio distinctum. Ita Card. Bellarminus Lib. 1. de Ord. c. 5. Valentia Tom. 4. D. 9. Q. 1. pun. 4. Tanner Tom. 4. D. 7. Q. 2. n. 23. Coninck D. 20. dub. 6. n. 43. Layman L. 5. Tr. 9. c. 4. n. 2. & plures alij. Probatur 1. ex Script. asserente, per Episcopi consecrationem conferri gratiam 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetam cum impositione manuum presbyterij.* Et 2. ad Tim. 1. v. 5. *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* In quibus locis sermonem esse de Episcopis, constat ex conditione ipsius Timothei, ad quem scribitur, & quem fuisse Episcopum inter omnes convenit. Ergo Episcopatus quæ talis, est Sacramentum; cum eadem sit ratio in consecratione Timothei, de qua loquitur Paulus, ac quælibet alijs Episcopi quoad gratiæ collationem. Probatur 2. ex Concilio Trident. Sess. 23. quod, cum cap. 3. ex allegata Scriptura indefinite probasset, ordinationem sacram esse Sacramentum, simulque absolute asseruisset, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis, postea cap. 4. definit, *præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopos, qui in Apostolorum locum pervenerunt, ad hierarchicum Ordinem præcipue pertinere.* Et can. 6. *dannat asserentes, non esse hierarchiam in Ecclesia Catholica divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis.* Ergo manifestè supponit Concilium, Episcopatum quæ talem, esse Sacramentum à Christo institutum. Probatur 3. Quia per Episcopi ordinationem confertur potestas quædam sacra & singularis administrandi Sacramenta, quæ sine gratia rectè administrari non possunt; talis est ipsa potestas ordinandi, confirmandi &c. Cum ergo Christus in necessarijs Ecclesiæ non defuerit, existimandum, eum quoque ritum, qui ordinandi potestatem confert, ad rationem Sacramenti seu efficacis signi gratiæ evexisse.

XI. Oppositum doctrinæ nostræ tenent D. Bonaventura in 4. Dist. 24. p. 2. art. 2. q. 3. Dominicus Scotus q. 1. art. 2. & 3. item Lib. 10. de Instit. quæst. 1. art. 2. & alij. Probant. Tum quia sic Episcopatus distinctum foret Sacramentum à Sacerdotio, cum diverso etiam tempore & consecratione conferatur. Tum quia in consecratione Episcopi nec Spiritus Sanctus dari, nec character imprimi videretur. Tum quia per eandem consecrationem Episcopi datur potestas Episcopis confirmandi & ordinandi, non autem consecrandi Corpus & sanguinem Christi, hæc concessa supponitur. Sed hæc tanti momenti non sunt. Respon. ad 1. Sicuti supra diximus, Episcopatum non esse absolute Ordinem à Sacerdotio distinctum, quia ille essentialiter istud supponit, ita nunc dicendum, non esse Sacramentum distinctum; etenim Episcopatus non distinguitur à Sacerdotio complete & perfecte: at bene in complete & partialiter ex novo signo gratiæ sanctificantis superaddito. Instar Tanner loc. cit. num. 32. Si Episcopatus non est Ordo à Sacerdotio distinctus. Ergo quatenus à Sacerdotio distinguitur, nec est Ordo, nec Sacramentum. Negatur

suppositum; quia Episcopatus quæ talis essentialiter supponit Sacerdotium; & ut sic abstrahi & distingui ab isto non potest. Ad 2. negando, in consecratione Episcopi vel Spiritum Sanctum non dari, vel Sacerdotij characterem non perfici; debet tamen Episcopus sacerdos esse; aliàs consecrari non posset, & consequenter nulla foret consecratio. Excellentia autem & Superioritas, quam habet Episcopus supra alios simplices Sacerdotes consistit in eo, quod ultra sacerdotium addat potestatem confirmandi fideles, & ordinandi Sacerdotes, quæ nullatenus simplicibus Sacerdotibus convenit, ob idque dignior est, cui latior jurisdictionis concedatur. Ad 3. inde non sequi, Sacramentum Ordinis non constitui ex relatione ad Eucharistiæ consecrationem, adeoque Ordinationem Episcopi esse adæquatè distinctam à Sacerdotio. Nam potestas consecrandi Sacerdotes directius & immediatius Eucharistiæ peragendæ servit, quam potestas Exorcistæ aut Lectoris: item quam Diaconi & Subdiaconi; siquidem absque illa potestate Eucharistia non consecraretur, quia non essent Ministri: attamen confici posset, quamvis Subdiaconi aut Diaconi non adessent.

XII. *Doctrina octava.* Diaconatus & Subdiaconatus sunt etiam Sacramenta. De Diaconatu est certum contra Durandum & Cajetanum, ita ut Vasquez Disp. 238. c. 2. existimet, absque errore negari non posse ob definitionem Concilij Tridentini Sess. 23. can. 6. asserentis, *in Ecclesia esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris;* quia Concilium ibi agnoscit ex Christi institutione aliquos ministros ultra Episcopos & Presbyteros ad Hierarchiam seu ordinem Ecclesiasticum pertinere, qui saltem Diaconi esse debent, utpote excellentiores, & Sacrificij administrationi proximiores. Adhæc Diaconus ordinatur per manûs impositionem, & prolata ab Episcopo illa verba: *accipe Spiritum,* ut constat ex Rituali Romano. At si illis verbis Spiritus Sanctus non conferretur ordinato; frustra Episcopus ea proferret contra decisionem Tridentini Sess. 23. can. 4. Et licet in hac ordinatione Diaconi manûs impositio non sit Ordinationis materia, & illa verba: *accipe Spiritum Sanctum* non sit forma; attamen ex eo, quod ab Ecclesia usurpentur in hac ordinatione, satis indicatur, effectum gratiæ, qui per manûs impositionem solebat conferri, in præsentia illa aut alia ceremonia communicari. De Subdiaconatu non est æquè certum, quod sit Sacramentum; quia de illo nulla est in scriptura expressa mentio; non tamen recedendum à communiore sententia, quæ asserit, nec apparet ratio, quæ ab illa dimoveat. Nam quod in Scriptura non fiat mentio Subdiaconorum, ex hoc non sequitur, quod tempore Apostolorum non extiterint Subdiaconi, sed accidit illud forsitan, quod ipsorum ministerium eo tempore parum fuerit necessarium ob Fidelium paucitatem. Addo, Subdiaconatum tempore primitivæ Ecclesiæ non fuisse inter Ordines sacras computatum; non quia Sacramentum non fuerit, sed quod tunc non habuerit votum castitatis annexum. At tempore Urbani II. imò ante ipsum Urbanum Subdiaconatus inter Ordines sacros numeratus fuit, ut probat Innocentius III. in cap. à multis. de ætate & qualitate, constatque ex 6. Synodo generali can. 6. Pontifices verò Anacletus & Damasus ille epist. 3. c. 1. iste epist. 4. non volunt, nullum

Ordinem esse absolute præter illos duos Episcoporum & Sacerdotum, sed nullum alium esse præter dictos in ordine Sacerdotali. Confirmabitur hæc nostra doctrina ex sequenti. Itaque

XIII. *Doctrina nona.* Quatuor Minores ordines sunt quoque Sacramenta à Christo instituta. Ita plerique Theologi cum S. Thoma P. 3. Q. 22. art. 2. quos sequitur Bellarminus de Sacramento Ordinis cap. 6. 7. & 8. Probatur. Tum quia vix apparet, qui conciliari possit sententia negativa cum verbis Concilij Florentini in decreto Eugenij Papæ: ubi sextum, inquit, *Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patena cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacuam cum patena vacua supposita traditionem, & similiter de alijs per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Ergo sentit Concilium, his Ordinibus Minoribus æquè rationem Sacramenti & veram illius materiam & formam convenire; sicut convenit presbyterati diaconati & subdiaconati. Tum quia Tridentinum satis id ipsum insinuat Sess. 23. c. 3. & can. 3. vocans *Ordinem Sacramentum* nullum faciendo discrimen inter septem ordines prius enumeratos. Tum quia S. Augustinus Lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 3. probat, Ordinem esse Sacramentum, sicut Baptismum, nec iterari posse. Cum ergo omnes ordines initerabiles sint, videtur ex mente Sancti Augustini omnes esse Sacramentum. Non obstat, varietatem fuisse olim in Ecclesia in prædictorum Ordinum enumeratione. Nam hoc fuit factum, quia non satis explorata erat eorum institutio; semper tamen ab initio Ecclesiæ non solum officia horum Ordinum, sed & illorum nomina fuerunt cognita, ut expressè testatur Tridentinum Sess. 23. cit. c. 2. indicans, à Christo Domino institutionem dimanasse, tametsi illorum distinctio non satis cognita fuerit. Hinc facile perspicitur, Sacramentum Ordinis esse unum unitate quædam Ordinis, quia omnia dicunt relationem ad Sacerdotium, ut cum S. Thoma in 4. Dist. 24. q. 2. art. 1. communiter sentiunt Scholastici, qui proinde etiam tenent, Ordinem esse unum specie infimæ Sacramentum. Alij tamen cum Vasquez Disp. 238. c. 3. num. 23. agnoscunt unitatem Generis, non speciei infimæ; quia, inquirunt, singuli ordines sunt per se integra & in suo genere perfecta Sacramenta, conferentia distinctum characterem, & peculiarem gratiam, nec tamen ordinantur intrinsecè ad unum finem proximum &c. Res est exigui momenti, & his non tam de re, quàm de voce.

XIV. *Doctrina decima.* Materia cujusque ordinis est id, per cujus traditionem confertur ordo: Forma verò sunt verba Episcopi, per quæ exprimitur actus Traditionis, & potestas circa rem traditam. Ita communiter Theologi. Explicatur per singulos Ordines. *Ostiarium* igitur, quietiam *Aedituus* sive Janitor vocatur, ordinatur per traditionem *clavium templi.* Forma est ista: *sic age quasi redditurus DEO rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Et hæc essentialia sunt hujus Ordinis, non item cæremoniæ subsequentes, ut deductio ad fores templi aperiendas & claudendas, & ad pulsandum. *Lector* ordinatur per traditionem libri sacrarum lectionum. Forma est ista: *Accipe, & esto verbi DEI Relator, habiturus, si fideliter & utiliter compleveris officium tuum, partem cum his, qui verbum DEI bene administrarunt ab initio,*

*Exorcista* ordinatur traditione libri *exorcismorum* ad pellendos demones. Forma est ista: *accipe & commenda memoria, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos sive catechumenos. Acolythus* ordinatur per duplicem quasi partem; primò per traditionem *candelabri* cum cereo extincto sub hac forma: *accipe ceroserarium cum cereo, ut scias, te ad accendendam Ecclesiam luminaria mancipatum in nomine Domini: deinde per traditionem urceoli* sub hac forma: *accipe urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Domini.* Unde dubium inter Authores, in qua traditione sita sit materia ordinationis? Verius existimo cum Vasquez D. 2. 37. cap. 3. n. 36. & alijs ab ipso relatis, in traditione urceolifera sitam esse; tum enim utrumque munus confertur ceroserario; & duplici traditione subduplici forma indicetur, duplex illa traditio materia ordinationis esse debet.

XV. *Subdiaconus* ordinatur traditione *calicis vacui & patenæ vacuæ.* Ita communiter Doctores ex Concilio Florentino, & Carthaginensi IV. c. 5. Ratio est, quia ea est materia ordinationis, per quam significatur præcipuum illius ordinis ministerium. Sed præcipuum ministerium Subdiaconi est, Sacerdoti inservire in sacrificio ministrando calicem & patenam mediante Diacono, quod officium nullo alio signo meliøre significatur, quàm traditione calicis & patenæ: Ergo &c. Unde minus probabilis est opinio Viguerij Instit. Theolog. c. 16. §. 6. materiam Subdiaconatus esse traditionem libri epistolarum sub illis verbis: *accipe librum epistolarum &c. cum præcipuum officium Subdiaconi non sit legere vel canere epistolam.* Nec verum est, Subdiaconis unquam prohibuit, sacra vasa tangere vacua, sed continentia Christi corpus & sanguinem; hoc solum esse prohibuit in Concilio Laodicensi c. 21. probat Vasquez D. 238. c. 6. n. 61. *Diaconi* ordinario duobus modis conficitur. 1. *impositione manus* sub hac forma: *accipe Spiritum Sanctum & robor ad resistendum diabolo & tentationibus ejus.* 2. *traditione Evangeliorum* sub hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* Utrum autem in duplici hac materia & forma essentia consistat, his est à Scholasticis decidenda. Probabilius videtur, solum posterius ad essentiam requiri, ut teste Vasquez D. cit. c. 4. à n. 36. communis habet sententia. Ratio sumitur ex definitione Eugenij IV. in qua sic ait Papa: *Diaconatus per libri Evangeliorum dationem confertur.* Cum igitur de impositione manuum nullam fecerit mentionem, manifestè infertur, manuum impositionem in hoc ordine non esse materiam præcipuam. Si ergo casu quodam fuisset omissa, ordo non esset iterandus, sed ritus ille cautè supplendus; juxta c. Presbyter de Sacramentis non iterandis.

XVI. *Sacerdotis* ordinationem præcedit unctio manuum, quæ est cæremonia Ecclesiastica ad essentiam non pertinens. Triplex deinde actio intervenit. 1. est impositio manuum Episcopi cum alijs Sacerdotibus, sed sine Verborum forma. 2. est traditio panis & vini in patena & calice cum hac forma: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & defunctis.* 3. est impositio manuum solius Episcopi cum hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittentur &c.* Ex his traditionem calicis cum vino & patenæ cum pane esse materiam hujus Ordinis: formam verò illa verba: *accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* omnes fere docent Doctores, colligi-

colligiturque ex Florentino & definitione Eugenij S. 6. argument. Ratio est, quia effectus Sacramenti Ordinis Presbyterij, quæ est potestas ad consecrandum corpus & sanguinem Christi nullis alijs rebus aptius & expressius significatur; nec significari potest quàm prædictis traditione & verbis. Posteriolem manuum impositionem cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* pertinere essentialiter ad materiam & formam consecrationis Sacerdotis, negant nonnulli. Verùm sententia opposita & affirmativa est probabilior, eademque, ut ait Tanner Tom. 4. Quæst. 2. n. 73. S. S. Scripturis Concilijs & Patribus convenientior. Nam hæ potestates, ut diximus supra, divisim sunt Apostolis concessæ: nec ista verba frustra profert Episcopus, sed operatoria sunt illius, quod significant, uti tradidit Tridentinum Sess. 23. c. 3. c. 4. significant autem; concedi gratiam ad remittenda peccata. Ergo hanc gratiam & potestatem Operantur.

XVII. In Episcopi ordine plures actiones interveniunt. Ungitur illi Caput sacro Chrismate. Traditur liber Evangeliorum; & prius quidem imponitur Scapulis, deinde præbetur manibus. Traditur Baculus pastoralis. Immittitur annulus digito. Imponitur Capiti mitra. Ac demum imponuntur illius Capiti *Manns à tribus Episcopis* sub hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum.* Et in hoc ultimo consistere essentiam hujus ordinationis seu Episcopatus, prout à Sacerdotio distinguitur; ac novam illi perfectionem superaddit, est communis sententia apud Ferdinandum Palao de Sacramento Ord. Disp. unic. pun. 4. apud quem plura videri possunt. Duo solum breviter advertimus. Primum. Quæ hucusque dicta sunt, in Ecclesia latina observantur, non in Ecclesia Græca, in qua sola manuum impositio adhibetur in ordinatione Diaconi & Presbyteri. Neque hinc sequitur, ab Ecclesia esse mutatam materiam à Christo designatam. Nam placuit Christo, materiam hujus Sacramenti determinare sub conceptu generico cujuscumque actionis certæ ad significandam traditionem potestatis, & relinquere Ecclesiæ ultimam electionem determinatæ actionis. Elegit autem & superaddidit Ecclesia Latina manuum impositioni pro magis explicita significatione traditionem instrumentorum. Indicavi hanc doctrinam obiter in Contr. de Sacram. in communi. Alterum. Sacerdotio initiandus debet physicè tangere calicem & patenam, aut saltem hanc illi superadditam, licet non hostiam. Et omnes ordinandi debent conari, non solum ut ostendant, se acceptare, quod traditur, (quod esset moraliter tangere) sed etiam ut physicè & revera tangant, quod Palao loc. cit. num. 22. cum pluribus alijs Theologis putat ad valorem Sacramenti requiri ex praxi Ecclesiæ & tam ordinantium, quàm ordinandorum sollicitudine circa prædictum contactum præstandum. Quid quid sit de hoc. Negari non potest, eundem saltem physicum contactum esse necessarium necessitate præcepti, & absque peccato mortali omiti liberè non posse ob periculum invalidæ ordinationis; interim necesse non est, ut tactus sit magnus aut prolixior, sed sufficit levior ac brevior &c.

XVIII. *Doctrina undecima.* Episcopus major est Presbytero tum potestate Ordinis, tum etiam jurisdictione. Ita communiter Catholici Doctores

cum Magistro Sentent. in 4. Sent. Dist. 44. Et S. Thoma 22. q. 184. art. 6. idque ex jure divino affirmantes. Probatur prior pars. Tum quia solus Episcopus potest ordinare Presbyteros, ut constat ex continua Traditione apud Sanctos Patres relatos longâ seriè à Bernardino Vetweis in Specul. veræ Ecclesiæ fol. 823. Unde Epiphanius hæresi 75. Aërij errorem (quem ipse furorem vocat) perstringens ait: *Dicere ipsum Episcopum & Sacerdotem æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim Ordo Patrum generator est (Patres enim generat Ecclesiæ) Presbyterorum autem Ordo, non potens generare Patres, per lavacri generationem generat filios Ecclesiæ.* Ubi observandum, nisi S. Pater id ex jure divino esse censuisset, frustra quæsiisset; quomodo erit possibile; quippe possibile foret per legis Ecclesiasticæ abrogationem aut dispensationem. Tum quia irritum habetur, si ordinatio ab ijs fiat, qui veri Episcopi non sunt, ut præter alios Patres aperte docet S. Damascenus in Epist. loquens de Chorepiscopis qui cum soli essent Presbyteri, Episcoporum more ordinare præsumebant: *vacuum, inquit, est & inane, quidquid in prædicto Sacerdotij summi egerunt ministerio.* Ergo ex jure divino ordinant Soli Episcopi; etenim si Presbyteri eodem jure vi ordinationis suæ illud ipsum possent, non invalidum, sed illicitum tantum foret, contra Ecclesiæ prohibitionem tale quid audere & facere. Tum quia soli Episcopi ut Ordinarij Ministri possunt confirmare Baptizatos, nec non templâ & altaria consecrare, ut docent S. Leo in Epistol. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Damascus in epist. 3. cit. & alij Patres; imò videmus etiam Actor. 8. Apostolos ipsos, quibus Episcopi succedunt, missos, ut per manuum impositionem darent Spiritum Sanctum jam baptizatis.

XIX. Probatur posterior pars de potestate Jurisdictionis. Tum quia D. Hieronymus in Epistola ad Evagrium Episcopos comparat cum Aaron: Presbyteros autem cum filijs ejusdem Aaronis. Quis autem dubitat, quia Aaron in potestate etiam jurisdictionis filijs suis jure divino fuerit superior? Tum quia Apostoli jure divino majores fuerunt LXX. discipulis; unde cum Actor. 1. numerus duodenarius ex apostasia Judæ imminutus esset restaurandus, fuit assumptus Matthias nec absque solenni quadam cæremonia, qui tamen antea erat unus ex LXX. Discipulis. Sed Episcopi successerunt Apostolis; Presbyteri verò Discipulis LXX. ut docet aperte Concilium Neocæsariense can. 13. & constanter Sancti Patres. Ergo Episcopi jure divino Presbyteris sunt majores. Tum quia ipso tempore Apostolorum Presbyteri suberant Episcopis 1. Tim. 5. v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus; peccantes autem coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Quibus verbis posterne clarius exprimi officium & auctoritas Judicis in subditos? Nam aptè Romanos officium Judicis tria complectebatur, quæ haud obscure hic apparent in Episcopo; in primis enim dat perentibus in presbyteros actionem, & hujus formulam: deinde cognoscit de controversijs; demum jus dicit, sive lite contestatâ sententiam pronunciat; nec tantum in Presbyteros, sed in omnes Christianos. Plura apud Bellarm. Lib. 1. de Clericis cap. 14. Et nos in altera parte contra errores hæreticorum.

XX. *Doctrina duodecima.* Minister ordinarius Sacramenti Ordinis est solus Episcopus. Ita omnes Catholici, habenturque in Concilio Florentino in decreto Eugenij. Et Trident. Sess. 23. can. 4. & 7. Ratio præcipua petitur à Voluntate Christi, qui ita hoc Sacramentum instituit, ut voluerit, non alium esse ordinarium illius Ministrum, quàm Episcopum. Quod autem Christus ita ordinaverit, satis colligitur ex perpetua & constanti praxi Ecclesiæ, quæ non nisi per Episcopos conferre solet Ordines. Congruentia, cur solus Episcopus sit Minister Ordinarius, ex eo sumitur, quod, cum solus Episcopus sit Princeps Reipubl. Christianæ, ad illum solum spectat, dignitates & ministeria Ecclesiastica distribuere, sicut ad Principem sæcularem officia politica, ut docet S. Thomas Supplem. q. 83. art. 1. Dixi Ordinarius. Nam 1. ex commissione summi Pontificis potest simplex Sacerdos conferre ordines Minores, ut probant privilegia quibusdam Abbatibus concessa. 2. ex eadem commissione Sacerdos non Episcopus conferre potest Diaconatum & Subdiaconatum propter privilegium aliquod ab Innocentio VIII. an. 1489. collatum Abbati Cisterciensi & alijs quatuor primis Abbatibus ejusdem Ordinis, ut posset prior omnes Ordinis sui Monachos: reliqui verò solum sibi subditos ad prædictos Ordines promovere; quamvis non desint, qui hoc privilegium in dubium revocent.

XXI. *Doctrina decima tertia.* Ad valorem Ordinationis necesse est, ut qui Ordines suscipit, sit vir, isque baptizatus. Ita omnes Catholici. Prior pars præcipue colligitur ex voluntate Christi, qui dum in cena Apostolis dedit potestatem consecrandi: item quando post Resurrectionem insufflavit in eos, & dixit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata &c.* nullam mulierem ordinavit, nequidem sanctissimam Matrem suam; quod certè argumento est, sexum femineum esse ex jure divino incapacem ordinationis etiam primæ tonsuræ, cum hæc sit deputatio ad Ordines suscipiendos. Hujus incapacitatis, quam Ecclesia semper agnovit, variæ congruentiæ afferri solent. Nam 1. per Ordinationem confertur officium quoddam publicum, & præminentia quædam super alios: feminae autem ex lege naturæ subijciuntur viris Genes. 3. v. 16. 2. ordinatus debet esse idoneus, qui doceat populum in Ecclesia; feminas autem hoc munus non decet 1. Tim. 2. v. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione, docere autem mulieri non permitto.* 3. Femina non est idonea ad repræsentandum Christum, ut sponsum Ecclesiæ. Ergo nec debebat esse capax Episcopatus. Ergo nec reliquorum Ordinum, quibus homo ad Episcopatum disponitur, Per Presbyteras igitur, de quibus interdum in Concilio agitur, intelliguntur viduæ seniores, quæ alijs ratione ætatis præerant. Vel feminae, quarum mariti ex earum consensu ad Sacerdotium evesti sunt, quæque castitatem servare tenebantur. Similiter nomine Diaconissæ intelligi solet femina deputata ad aliquod ministerium quodammodo sacrum in Ecclesia exercendum v. g. ut Sacerdoti baptizanti inservirent: Vel cujus vir ad Diaconatum promotus erat, quæque non poterat, eo vivente, alteri conjugio copulari. Posterior pars constat. Tum ex capitulo siquis de Presbytero non baptizato. Tum quia supra jam diximus, Baptismum

esse januam & fundamentum omnium Sacramentorum. Unde communiter dicunt Authores, characterem Ordinis supponere characterem Baptismi.

XXII. *Doctrina decima quarta.* Infantes validè possunt ordinari ante usum rationis: in adultis tamen consensus ad valorem ordinationis requiritur. Ita communis sententia Catholicorum. Prior pars haud obscurè habetur c. unic. de Clerico per saltum promoti. Et traditur à D. Thoma in 4. Distinct. 25. q. 1. art. 1. quæstium. 2. Et post alios à Vasquezio D. 246. cap. 1. num. 6. & Layman Lib. 5. Tr. 9. Cap. 6. n. 4. Probatur. Tum à simili. Nam infantes ante usum rationis sunt capaces Baptismi & Confirmationis. Cur non etiam Ordinis? cum hæc tria Sacramenta ad habeant commune, ut characterem imprimant. Tum congruentiæ, quia Ordo nullum Infantibus infert onus, sed potius honorem (non enim teneretur Infans servare Castitatem, nec Ordines exercere) Apparet itaque congruum, ut Infantibus ordo validè conferri possit, esto, ob varia inconvenientia illud non liceat. Posterior pars sufficienter probata manet ex dictis de Sacramentis in genere, ubi docuimus, ad valorem Sacramenti necessariam esse intentionem suscipientis, si sit adultus; quod nominatim hic extendimus ad amentem, qui aliquando usum rationis habuit, eum scilicet, ordinari non posse, nisi tempore discretionis ordinem postulaverit; etenim Sacramenta, quæ necessitatis non sunt, sed voluntatis, repelluntur, si postulata non fuerint tempore, quo liberè postulari poterant, ut bene advertit Vasquez loc. cit. n. 8. Cæterum ex lege Ecclesiastica pro ordinum diversitate diversa ætas requiritur, ut licitè recipiantur. Ad primam Tonsuram non admittitur quis ante annos discretionis, qui communiter ad sunt expleto septennio. Pro Minoribus ordinibus nulla certa ætas præcibitur. Pro Subdiaconatu requiritur annus vigesimus secundus. Pro Diaconatu vigesimus tertius. Pro Presbytero vigesimus quintus, scilicet, inchoati. Pro Episcopatu trigessimus completus, nisi dispensetur. Quod si non observatis temporibus ordo conferatur, valet ordinatio, cum sit actus ordinis, non jurisdictionis, adeoque nullà lege potest actus valor impediri vel irritari. De cæteris requisitis Moribus, Doctrina, Beneficio &c. videantur Theologi Morales.

XXIII. *Doctrina decima quinta.* Effectus ordinis Sacramentalis est Gratia habitualis fundans auxilia actualia opportuna ad functiones rite obbeundas. Et Character. Ita omnes Catholici, habenturque in Concilio Tridentino Sess. 23. c. 3. Et sufficienter intelligitur ex ijs, quæ de effectu Sacramentorum in communi diximus. Solum circa characterem ex communiore doctrina Theologorum hæc tria addo 1. Character sacerdotalis constituitur ex duplici characterè partiali propter duplicem potestatem, quam accipit, consecrandi & absolvendi. 2. ordinatione Episcopali etiam confertur character dependens à characterè Presbyterali; quia itidem confertur potestas spiritualis perpetua ordinandi Ministros Ecclesiæ, confirmandi &c. 3. Character particularis Presbyterij collatus cum potestate absolvendi dependet à characterè collato cum potestate consecrandi: nec potest conferri posterior non habenti priorè,



rem, ut jam supra insinuat. Congruentia hujus esse potest, quia sicut corpus Christi verum præsupponitur ad corpus Christi mysticum, ita congruum erat, ut potestas faciendi corpus verum præsupponeretur à potestate disponendi & præparandi proximè membra Corporis Mystici ad veram Corporis Christi communionem.

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

XXIV. **E**rror primus. Ordo non est verum ac propriè dictum Sacramentum. Ita Martinus Lutherus ex omnibus hæreticis primus rationem Sacramenti denegare Sacro Ordini ausus Lib. de Captiv. Babyl. cap. de ordine, quem plerique Lutherani secuti fuerunt, nominatim Kemnitius P. 2. Exam. & Gerhardus in Confess. sua August. L. 1. P. 3. à fol. 205. Calvinus Lib. 4. Institut. c. 14. §. 20. & alibi oppositum quidem docet, Calvinista tamen Luthero adhærent, ut videre est apud Amesium Tom. 3. contra Bellarm. à fol. 245. Argumenta, quibus magis fidunt, sunt ista. 1. In Ordine nullum est symbolum externum, quod representat & obsignat unionem nostram cum DEO per Christum. 2. Apostoli extenderunt quidem Manûs impositionem in ordinationem Ministrorum Ecclesiæ, non tamen ideo, ut per eam cæremoniam conferrent Sacramentum, sed ut eos DEO commenderent, ac pro ipsius orarent. 3. Finis, ad quem ordinatio fit, est aliorum ædificatio Ephes. 4. v. 12. non propria justificatio. Item omne Sacramentum est bonum totius Ecclesiæ: Ordinatio non est bonum totius Ecclesiæ, sed certi alicujus status, nempe Ministrorum Ecclesiæ proprium, Ergo &c. 4. Præter impositionem manuum aliæ olim cæremonia Judæis & Gentilibus familiaris non fuerunt adhibitæ; imò rasura capitis & barbæ prohibetur Levit. 19. v. 27.

XXV. Errorum istum abunde supra §. 1. rejecimus auctoritate Scripturæ, Conciliorum & Patrum. Ei certè vel solius Augustini testimonium (qui in lib. 2. contra Parmenianum c. 13. & Lib. 5. de Bapt. c. 1. fere decies Ordinationem vocat Sacramentum) plus ponderis habet, quàm universæ Novatorum objectiuncula, quas etiam Melancthon non tanti fecit, quò minus contrarium assereret in locis Anni 36. 52. & 58. ut & in Apologia Confess. Augustanæ art. 13. Unde sapienter docuit Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 3. in hæc verba: *Cum Scriptura testimonio, Apostolica traditione & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, qua verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis; inquit enim Apostolus: admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, qua est in te per impositionem manuum mearum.* Argumenta minimè difficilia sunt.

XXVI. Respon. ad 1. Manuum impositionem semper in Ecclesia habitam fuisse tale Symbolum, idque ex apertis Sacræ Scripturæ testimonijs; et si hæc non conceptis verbis affirmant,

illam esse Symbolum gratiæ, sed nec isto opus est. Inquit Kemnitius, in ordinatione Apostolorum Christus nullo usus videtur ritu exteriori. Inprimis hoc falsum esse, patet ex Sac. Scriptura Joannis 20. v. 22. cit. Deinde si etiam daretur, nihil ex eo contra nos probaretur; quia Christus per potestatem excellentiæ effectum Sacramentorum dare potuit sine ritu exteriori, ac nihilominus ritum exteriorem certum constituere in Ordinatione ministrorum deinceps observandum. Dicit Hailbrunner in suo Papatu non-Cathol. pag. 582. Testimonia Scripturæ non pro vero Sacerdotio, sed prædicandi officio intelligenda esse. Contra hoc effugium sic argumentor. Notum est, per impositionem manuum consecrari præcipuos DEI & Ecclesiæ Ministros, qualis fuit Timotheus à D. Paulo ordinatus i. Tim. 4. & 2. ad Tim. 1. cit. Atque præcipui Ecclesiæ Ministri fuerunt veri Sacerdotes. Ergo veri Sacerdotes initiati fuerunt per Manuum impositionem. Minor inde constat, quod in Novo Testamento Sacerdotes semper extiterint non solum generali significatione quasi sacra tractantes, sed verè & propriè dicti; ubi namque est propriè dictum Sacrificium, ibi verè proprièque dicti sunt Sacerdotes. Verum autem proprièque dictum Sacrificium esse in Ecclesia Christi, abunde supra demonstravimus. Ergo in eadem verè proprièque dicti Sacerdotes sint, oportet, ut copiosè testantur SS. Patres itidem supra adducti. Ad 2. falsum esse; Apostolos per manuum extensionem solum orasse pro Ordinandis. Tum quia Act. 6. v. 6. ubi ordinantur Diaconi ab Apostolis, Oratio distinguitur ab impositione manuum. Tum quia verba illa Apostoli citata: *Manum tuam nemo imponeris, neque communicaveris peccatis alienis*, non possunt explicari de oratione, sed de cæremonia, quâ ordinantur Ministri, non enim communicat peccatis alienis, qui orat pro indignis, sed qui ordinat indignum, & confert illi Sacramentum. Dicunt Adversarij, non extare mandatum de manuum impositione in Scriptura. Esto, non extet disertis verbis, evidentèr tamen ex Scriptura colligitur; etenim nullus Angelus vel homo, sed solus DEUS potest gratiam alligare certo signo, aut instrumento, uti etiam Sectarij concedunt. Atque gratia est alligata impositioni manuum in Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, ut patet ex verbis cit: *Resuscita gratiam, qua est in te per impositionem manuum mearum.*

XXVII. Ad 3. finem extrinsecum Ordinis jam collati & in facto esse sine dubio esse ædificationem Ecclesiæ: in fieri autem seu collationem & receptionem characteris Sacerdotalis habere pro fine intrinseco ipsius personæ ordinandæ habilitationem, quâ per dona supernaturalia characteris, gratiæ Sanctificantis, & auxiliorum actualium idoneus & potens redditur ad ministrandum alijs præcipuè SS. Eucharistiæ & absolutio- nis Sacramenta. Atque ex his patet etiam ad argumentum adjectum; esto enim Sacer Ordo non sit in bonum totius Ecclesiæ subjektivè, est tamen terminativè; quia Christus instituendo sacrum Ordinis Sacramentum revera principaliter respexit ad bonum totius Ecclesiæ procurandum, nunquam illum Ordinem instituturus, nisi hoc bonum Ecclesiæ Universæ intendisset. Ad 4. etiam olim præter impositionem Manuum alias cæremonias fuisse adhibitæ, ut constat ex S. Dionysio c. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Ubi testatur,

*Pontificem*

Pontificem uti oleo sacro in omni fere consecratione Pontificali idque traditum fuisse ab Apostolis. Vetus Testamentum rasuram prohibens non amplius obligat à Christo aboliturum. Neque refert, quod olim Judæi & Gentiles similes quasdam cæremonias usurpant; quia nos longe aliâ intentione & significatione usurpamus. Hinc D. Augustinus Lib. 20. contra Faustum cap. 23. ait: *Esi usus quarundam rerum similis videtur nobis esse cum Gentilibus, scuti cibis & potus, lectorum, vestimentorum &c. Ecclesia tamen longè aliter his rebus utitur, quæ ad alium finem earum usum refert. Quærere autem lubet ex Prædicantibus, unde nam ipsi hauserint ritum suæ ordinationis, quam alicubi observant, ut testatur Costerus in compendiosa Fidei demonstratione propos. 4. ubi Candidatum in templum deducunt, ibique manibus capiti ejus impositis ori sallem immittunt, tum haustum vini præbent, & aquam Baptismi, ac denique librum cantionum, ex quo cantare debet: Erhalte uns Herr bey deinem Wort. Und stehr des Papste vnd Türcken Word. Die Jesum Christum deinen Sohn. Wollen stürzen von seinem Thron. hoc est latine: Conserva nos Domine apud tuum Verbum. Et Papæ ac Turcæ siste mortis ferrum. Qui JESUM Christum Filium tuum. Jactum volunt extra thronum suum. Certè isti ritus nec in Sacra Scriptura continentur, nec in historia Ecclesiastica aut ullo Sancto Patre reperuntur.*

XXVIII. Error secundus. Presbyteri jure divino Episcopis sunt æquales. Ita Arius, de quo ita scribit Epiphanius hæretici 75: *Erat ipsi sermo furiosus magis, quam humana conditionis, & dicebat, quid est Episcopus ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo; unus enim est ordo, & unus honor & una dignitas. Imponit manus Episcopus, ita & presbyter &c. Secuti hunc fuerunt moderni Novatores Wicleff, Calvinus Lib. 4. Instit. c. 4. §. 2. Kemnitius in Exam. Trident. Sess. 23. Et alij Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 2. & Calvinistæ apud Amesium Tom. 2. à fol. 104. Probant 1. Apostolus epist. suam ad Philipp. sic c. 1. v. 1. inchoat: Paulus & Timotheus servi JESU Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus. Ubi per Episcopos intelliguntur Presbyteri. Probant 2. In 1. ad Timotheum c. 4. v. 14. scribit idem Apostolus; noli negligere gratiam, quæ est tibi data cum impositione manuum presbyterij. Probant 3. S. Hieronymus in epist. ad Titum c. 1. sic scribit: *Idem Presbyter, qui Episcopus.* Et in epist. ad Euagrium: *quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non etiam facit Presbyter?* Probant 4. Christus ordinavit presbyteros in ultima cæna secundum omnes Catholicos. At nusquam legitur ordinasse Episcopos. Ergo Episcopatus non est introductus jure divino, sed merè humano, ut volunt Sectarij loc. cit.*

XXIX Hunc errorem jure meritissimo damnavit Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 3. can. 7. ubi definit, *Episcopos Presbyteris esse superiores.* Et ibid. can. 6: *si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinam ordinatione confirmatam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Jure, inquam, damnavit; quia jam olim inter hæreses idem error est positus ab Epiphanio loc. cit. ubi inter alia sic ait: *decipit autem Arium nugacitas ipsius & emulatio, profert autem ad errorem suum, quod Apostolus scribit Presbyteris & Diaconis, & non scribit Episcopis &c.* Item ab Au-

gustino de hæresibus cap. 53. ubi sic scribit: *qui Arius, cum esset Presbyter, doluisse fertur, quod non Episcopus potuit ordinari & in Arianorum hæresim lapsus propria quoque dogmata addidisse nonnulla &c. dicebat etiam Presbyteri ab Episcopo debere nullam differentiam discerni &c.* Ubi S. Pater supponit certum, quod Episcopi novâ ordinatione creandi sint, cum presbyteri sunt: & quod dogma hæreticum sit, Presbyteros ab Episcopis non differre. Ratio juxta hujus damnationis est, quia Episcopi non solum consecrant, sed etiam regunt & gubernant Presbyteros juxta illud 1. ad Tim. 5. v. 19: *adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi duobus, aut tribus testibus;* uti jam supra diximus. Unde Tertulianus in Lib. de Baptis: *jus inquit, habet dandi baptismum summus Sacerdos, qui est Episcopus: de hinc Presbyteri, & Diaconi, sed non sine Episcopi voluntate.*

XXX. Respond. ad 1. probationem Sectariorum cum D. Thoma 22. q. 148. art. 6. ad 1. illa duo nomina Episcopus & Presbyter tempore Apostolorum fuisse communia omnibus Sacerdotibus tam majoribus & primæ classis, quos Episcopos vocamus, quàm minoribus & secundæ classis, quos Presbyteros appellamus, licet res ipsæ & potestates essent distinctæ. Itaque Paulus nomine Episcoporum complexus est omnes Sacerdotes. Videri potest Baronius in hist. Ecclesiast. ad annum Christi 60. Ad 2. cum Cornelio à Lapide, Tirino, & alijs Interpretibus in hunc locum, per impositionem manuum presbyterij intelligi certum Presbyterorum majorum & primæ classis, hoc est Episcoporum. Nam juxta Apostolicam traditionem Episcopus ordinari debet à tribus saltem Episcopis, ut supra diximus. Ad 3. quæ est Achilles Sectariorum, D. Hieronymum non omnimodè æquare Presbyteros Episcopis, aperte constare ex adductis verbis ad Evagrium, excepta ordinatione. Sensit itaque S. Pater solummodo, quod Episcopi, licet jure divino sint Majores Presbyteris quoad potestatem Ordinis, non tamen in primitiva Ecclesia fuerint quoad Jurisdictionem in actu secundo majores. Nam Jurisdictio Episcopalis olim in primitiva Ecclesia etiam secundæ classis Sacerdotibus seu Presbyteris conferebatur in actu secundo: & ideo ipsi etiam presbyteri tunc aliquo modo vocabantur Episcopi seu Antistites, sicuti vicissim Sacerdotes primi ordinis seu Episcopi vocabantur Presbyteri, ut patet ex 1. ad Timoth. c. 4. & 5. & notavit Chrysostr. hom. 11. Postea autem, cum aucta Ecclesiâ ex hac concessione speciali Sacerdotibus secundæ classis per dispensationem facta dissensiones & schismata orirentur, desijt ea potestas ipsis ultra committi. Itaque quoad jurisdictionem distinguendum inter actum primum & secundum. In actu primo seu debito jus divinum plus jurisdictionis confert Episcopo, quàm Presbytero; quia ratione Episcopatus & muneris Episcopalis plus juris illis Episcopis, quàm his Presbyteris confertur: in actu secundo autem potest Ecclesiâ parem jurisdictionem utrisque concedere, ut olim concigisse constat, ac de Chor-episcopis docet Cardin. Bellarminus Lib. 1. de Clericis cap. 17. Breviter. D. Hieronymus solum vult, non vanè Episcopo gloriantem de jurisdictione in alios; siquidem prærogativa ista non ita illi per ordinem Episcopalem convenit, quin eadem in actu secundo meris Sacerdo-

Sacerdotibus ex commissione convenire possit; esto per dictum ordinem Episcopalem semper re-  
tineat, quod ipse Sacerdotes ordinare valeat: i-  
stud autem in nullo casu Sacerdoti mero conve-  
nire queat. Ad 4. à Christo fuisse ordinatum S.  
Petrum Episcopum: à S. Petro Jacobum & Joan-  
nem: ab his cæteros Apostolos, ut copiosè osten-  
dit Joannes de Turcremata Lib. Summæ Eccle-  
siasticæ cap. 32. Bellarminus Lib. 1. de Pontifice  
cap. 23. &c.

XXXI. *Error verum est.* Neminem ad Ordines  
promovendum esse sine consensu populi & Ma-  
gistratus civilis. Ita communiter moderni Sectarij  
Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. Con-  
fess. August. à fol. 1. Et Calvinistæ apud Amestium  
Tom. 2. contra Bellarminum à fol. 75. Probant  
1. Act. 1. v. 23. Cum aliquis Apostolus loco Ju-  
dæ proditoris substituendus esset ad implendum  
numerum duodenarium à DEO determinatum,  
Petrus totum populum fidelem convocavit, eis-  
que permisit designare novum Apostolum. 2. It-  
erum Act. 6. v. 5. electio Diaconorum omni-  
bus Fidelibus fuit permissa, qui elegerunt Step-  
hanum, uti alios sex. 3. Olim Cleri populique suf-  
fragia requisita fuisse, constat ex nonnullis cano-  
nicis Juris Canonici apud Gratianum Dist. 23.  
24. 62. 63. 65. 67. Et causa 8. q. 1. can. licet. 4. an-  
tiquitus etiam Episcopi & Pontifices ab Imperato-  
ribus non solum electi, sed etiam confirmati, imò  
depositi fuerunt. Atque hanc electionem à Laicis  
per annos fere mille trecentos citra omnem con-  
troversiam fuisse factitatem, affirmat Illyricus Lib.  
de Elect. Episc.

XXXII. Errori huic inprimis adversantur  
Sacra Scripturæ. Act. 13. v. 3. DEUS non po-  
pulo, sed Prophetis & Doctoribus mandavit, ut isti, qui  
erant Antiochia, Saulum & Barnabam segregarent in o-  
pus, ad quod Spiritus Sanctus eos assumpserat, hoc est,  
ordinarent illos perfectè & publicè Ministros Ec-  
clesiæ. Ibidem c. 14. v. 22. absque mentione po-  
puli constituerunt per singulas civitates Presbyteros. Man-  
dat & Paulus Tito c. 1. v. 5. absque recordatione  
populi, ut per civitates ordinaret Presbyteros &c. De-  
inde decreta Conciliorum, quibus popularis ele-  
ctio inhibetur. Synodus VIII. Generalis, quæ est  
Constantinopolitana I. V. Act. 1. expressè ponit,  
non convenire populo electionem Ministrorum Ecclesiæ; cum  
in idcirco nullam potestatem quemquam potestativorum vel  
aliorum Laborum habere conveniat. In Concilio Mar-  
tini I. c. 1. apertè decernitur his verbis: Non licet  
populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium pro-  
movenentur. Nicenum II. quod est Synodus VII.  
Generalis can. 3. sic absolute statuit: Omnis electio  
Episcopi vel Presbyteri, quæ sit à Magistratu, irrita ma-  
neat, oportet enim eum, qui est promovendus, ab Episcopis  
eligi. Demum huic errori adversantur ipsimet No-  
vatqres; siquidem in plerisque jam locis acatho-  
licis, teste Christophoro Besoldo in motivis con-  
versionis suæ fol. 91. vocatio & ordinatio Mini-  
strorum à solis Principibus & Magistratibus sæ-  
cularibus dependet, ita ut isti populo quidem in-  
dicentur & proponantur, minime tamen penes  
hunc stet, unum à Principe electum aut constitu-  
tum Ministrum repudiare, imò ipsa etiam in vesti-  
tura sub nomine solius Principis fit: Unde sic  
concludo. Vel hujusmodi vocatio Ministrorum  
acatholicorum est valida, vel non? si prius. Er-  
go Populus nullum habet suffragium. Ergo fun-  
ctiones Ministrorum illegitime vocatorum sunt

nullæ, nominatim consecratio Cœnæ. absolutio  
in confessione &c.

XXXIII. Pro majore declaratione, & clario-  
re refutatione argumentorum in oppositum. Ad-  
vertendum, institutionem seu creationem Mini-  
strorum Ecclesiæ tria complecti. Primò. Electio-  
nem ad Ordinem, quæ quis ad sacrum ordinem su-  
scipiendum eligatur & destinatur. Secundò Or-  
dinationem, ut certo ritu & cæremoniâ ordinetur.  
Tertiò. missionem seu Vocationem, ut ordi-  
natus datâ jurisdictione ad factas functiones cum  
potestate & auctoritate reipsâ obeundas legitime  
mittatur. Hoc posito: Doctrina Catholica circa  
constituendos Ecclesiæ Ministros stat in sequenti-  
bus punctis. *Primum.* Electio & Institutio Mini-  
strorum Ecclesiæ non fit immediate à DEO. Pro-  
batur tum ex Sac. Scriptura Act. 6. v. 5. cit. ubi  
Electio septem Diaconorum, & inter hos ipsius  
etiam Nicolai Heresiarchæ facta est ab Ecclesia.  
Tum ratione; quia consuetus divinæ Providen-  
tiæ modus est, ut inferiora gubernet per media.  
Accedit; quod Electio Ministrorum debeat esse  
visibilis, ut fidelibus constare de ipsidem possit.  
*Secundum.* Electio Ministrorum Ecclesiæ, ut v. g.  
Papæ, Episcopi, & Pastorum jure divino non con-  
venit populo toti; nec ex ejus consensu & suf-  
fragio dependet. Probatur tum exemplo Christi,  
qui sine ullo suffragio elegit Apostolos duode-  
cim & septuaginta duos discipulos: tum ex Con-  
cilijs Nicæno II. Constantinopolitano IV. cita-  
tis, quæ prohibent, *Ne Magistratus & Principes sæ-  
culares ejusmodi electionibus sese immisceant.* *Tertium.*  
Ordinatio Episcoporum & aliorum Ministrorum  
Ecclesiæ non pertinet ad populum seu plebem, sed  
ad solos Episcopos. Probatur tum ex Concilij  
præsertim Nicæno I. can. 4. Carthaginensi II.  
can. 12. & alijs. Tum ex perpetua praxi Veteris  
& Novi Testamenti; quemadmodum enim Aa-  
ron & reliqui Sacerdotes non ab alio, quàm Moy-  
se ordinati fuerunt, ita Ministri novi Testamenti  
in Ecclesia Primitiva non nisi per Apostolos aut  
Episcopos ab Apostolis ordinatos mediante ma-  
nuum impositione ordinati fuerunt Act. 6. &  
alibi. *Quartum* denique punctum. Missio seu vo-  
catio Ministrorum non pertinet ad populum, sed  
ad Episcopos & præcipue ad Summum Pontifi-  
cem. Ratio est, quia hæc missio est actus jurisdic-  
tionis Ecclesiasticæ; hæc autem jurisdictio non  
est in populo, sed in Prælatis Ecclesiæ; quippe  
non populo dictum est: *Tibi dabo claves, aut, pascis  
oves meas, aut: quorum remisieris peccata, remittentur  
eis &c.* Hinc ab Apostolis fuerunt missi Episcopi  
ad convertendos Infideles in varia loca: à Gre-  
gorio Bonifacius ad Germanos, Augustinus ad  
Anglos &c. & ab alijs alij, nec potuit quidem e-  
lectio populi, ad quem Episcopi mittebantur, in-  
tervenire. Videantur, quæ diximus supra de vo-  
catione Ministrorum Contr. XXXVII. Nunc

XXXIV. Respon. ad 1. probationem hæreti-  
corum; hanc non esse contra nos; quia non dici-  
mus, populum ex concessione non posse admitti  
ad electionem (hoc enim sæpius est factum) sed  
asserimus, non esse juris divini, ut populus habeat  
suffragium; etenim si istud esset, electio foret nul-  
la, in quam populus non consentit, quod est fal-  
sum, ut ex dictis apertè constat. Equidem sub ini-  
tium Ecclesiæ, cum adhuc latè non pateret nu-  
merus Fidelium, & unum esset cor omnium, at-  
que una anima, facile & sine incommodo potuit  
populi

populi consensus obtineri ad dignam ac salutarem electionem faciendam, idcirco etiam ipsi qualiscunque petitiō seu nominatio eligendorum sine incommodo permittebatur, eaque consuetudo post aliquamdiu in Ecclesia fuit tolerata. Sed postea cum ob multitudinem & insolentiam populi magnæ perturbationes & clades in eiusmodi popularibus electionibus intervenirent, quod antea toleratum fuerat, paulatim Sanctis Patribus & Ecclesiæ Prælati displicere merito cepit, donec tandem necessitate cogente populo huiusmodi potestas ob imperitiam & multitudinem atque improbitatem ablata fuit. Dixi qualiscunque petitiō seu nominatio eligendorum. Nam huiusmodi electio Apostoli & Diaconorum, de quibus in Actis Apostolorum, non fuit ordinatio, sed tantum præsentatio etiamnum Laicis Patronis concessa, ultimo tamen iudicio Ecclesiæ relicto, utrum præsentati sint digni; universo autem populo hanc præsentationem permittere, non amplius expedit, ut diximus. Ad 2. jam dictum, posse istud fieri ex concessu Prælatorum. Apostoli autem concesserunt multitudini, ut eligerent septem viros plenos spiritu sancto; quamvis in hoc ipso loco, ut modò diximus, electio melius sumatur pro nominatione seu præsentatione, manente scilicet liberâ dispositione penes Apostolos; unde vers 3. dicitur: *Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu Sancto & Sapientiâ, quos constituamus supra hoc opus.* Constituire ergo ad Apostolos pertinebat: considerare verò seu delectum habere personarum, easque Apostolis præsentare, Fidelibus permittebatur. Ad 3. vetustum morem Apostolorum aut Pontificum in requirendo populi consensu jam pridem abrogatum fuisse, ut constat ex Dist. 63. cit. ubi cap. 1. sic ait Adrianus Papa: *Nullus Laicorum Principum vel Potentium semet inferat electioni aut promotioni cuiuslibet Episcopi, ne ordinata & incongrua fiat electio vel confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam Laicorum habere conveniat.* Quod confirmant Synodus generalis VIII. & Martinus Papa verbis cit: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur, sed in iudicio sit Episcoporum.* Non obstat Cyprianus Lib. 1. epist. 4. ubi ait: *plebs maxime habet potestatem eligendi Sacerdotes, & indignos recusandi, quod & ipsam videmus de divina autoritate descendere.* Nam S. Pater non dicit, populum habere potestatem eligendi & suffragandi per calculum, sed solummodo per testimonium, quia testari potest, ordinandum esse bonum vel malum, & sic testimonio suo efficere, ut eligatur, vel non eligatur; Atque hoc ait descendere de divina autoritate, hoc est, scripturarum exemplis, & doctrinæ majorumque traditioni consentaneum esse, ut scilicet populus talem potestatem habeat. Unde etiamnum ante ordinationem proclamante Diacono cuiuslibet sit liberè pronuntiandi potestas, siquid adversus ordinandum opponere possit, ut habetur in Pontificali Romano. Ad 4. denique probationem, potestatem partim tyrannicè ab Imperatoribus fuisse usurpatam, ut quidem de Justiniano fusè prosequitur Baronius Tom. 7. partim quoad electionem & confirmationem à Summis Pontificibus & Ecclesiæ Reſtoribus concessam, tum ob insignia quorundam Regum in Ecclesiam merita, tum ob publicam pacem ac promptiorem ipsorum Principum obedientiam, sicuti nominatim de Carolo & Othone refert Gratia-

nus eadem Distinct. 63. Unde apparet, quam Splendidè mentitus fuerit Illyricus supra adductus, qui idcirco ulteriorem refutationem non meretur.

XXXV. Error quartus. Omnes Christiani sunt Clerici & Sacerdotes. Ita Lutherus, qui Lib. de abroganda Miſſa scribit: *Clerum à Laicis non nisi impia hominum traditio discevit; cuius etiam impia est opinio ista: omnes promiscuè homines nascuntur Sacerdotes, cum potestate ad sacrum ministerium requisiti.* Luthero ad stipulatur Calvinus, cuius in comment. in epist. 1. Sancti Petri c. 5. impium votum est, ut nomen Cleri Patribus nunquam in mentem venisset, quam ideo etiam infestatur Lib. 4. Instit. c. 4. §. 19. Uterque suos habet Sectatores; ne autem confusio sit in hoc munere, addunt requiri solum certorum hominum deputationem vel à populo, vel à Magistratu politico factam, ut jam illa cœnica impositio manuum & Ordinatio Ministrorum, quæ à Superintendente & Prædicantibus accedit, non nisi applicatio ad officium remaneat. Probant 1. ex SS. Patribus. Irenæus Lib. 4. c. 20. ait, omnes *Iusti sacerdotalem habent Ordinem.* Chrysostom. hom. in Matth. *Omnis Sanctus Sacerdos est.* Ambros. libro 4. de Sacram. c. 1. *Unusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum &c.* Prob. 3. ratione. Tum quia omnes Christiani sunt fors peculiaris Christi, quam significationem innuit vox *clerus* à voce græca κληρος. Tum quia inter Christiani non est discriminem; etenim in Christo JESU non est masculus & femina ad Gal. 3. v. 28. Tum quia feminae sunt Prophetissæ Num. 12. Maria Soror Moysis. Luc. 2. Anna filia Phanuel. Act. 21. filia Philippi, cur non etiam Sacerdotes?

XXXVI. Errorem hunc rejicit & damnat Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 4. ubi sic statuit: *Quod si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est utriusque acies ordinata (Cant. 6. v. 1.) confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam (Ephesios 4. v. 11.) omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores.* Similis hujus locus est ejusdem Apostoli 1. Corinth. 12. v. 28. in quibus verbis D. Paulus non solum distinguit inter gratias gratis datas, sed etiam inter officia Ecclesiastica, puta Apostoli, Prophetæ, Doctores &c. quæ negat omnibus convenire, quod tamen contra illum affirmant Sectarij, si enim omnes Sacerdotes. Ergo omnes Episcopi, cum inter Sacerdotes & Episcopos in eorum opinione non sit differentia. Si autem omnes Episcopi. Ergo omnes Apostoli, Doctores, Pastores &c. Ratio famitur ex proportionem Hierarchiæ Ecclesiasticæ cum Civili, in qua periret omnis Ordo, pax & tranquillitas, si nulla esset in ea graduum & dignitatum distinctio. Probationes sunt prorsus futes & explodendæ potius, quam solvendæ. Nihilominus breviter.

XXXVII. Respond. ad 1. ex Sacra Scriptura. D. Petrum & Joannem non loqui de Sacerdotibus propriè dictis, sed impropriè & metaphorice, sicut omnes Christiani impropriè sacrificia scilicet laudis, precum, & bonorum operum offerunt. Hinc Petrus v. 3. præmisit: *domus spiritualis, Sacer-*  
dotium

dotium sanctum, offerre spirituales hostias. Nec S. Joannes ex eo, quod dicat, Christum fecisse regnum DEO Patri suo, dicere vult, omnes Christianos propriè esse Reges. Ad 2. similiter Patres appellare omnes Christianos impropriè solum Sacerdotes; in quem modum illos explicat D. Thomas 3. P. q. 82. art. 1. ad 1. ajens: *Bonus Christianus dicitur Sacerdos spiritualiter, non autem quoad ordinem.* Ad 3. Clericos propriè non dici, nisi illos, qui peculiariter per sacrum Ordinem DEI cultui participati sunt, vel quia de sorte seu hereditate sunt Domini, vel quia ipse Dominus fors seu pars est Clericorum: omnes autem Christianos non nisi impropriè & latè vocari Clericos, in quem modum D. Petrus epist. 1. c. 5. v. 2. ajens: *neque dominantes in cleris*, accipit nomen cleri pro omnibus Fidelibus, qui sunt fors & hereditas Christi, qui aliàs propriè dicuntur populares seu laici à græca voce *λαο* quæ populum seu plebem significat. Ad 4. negando inter Christianos nullum esse discrimen, adeoque nullos esse laicos meros. D. Paulus ad Galat. cit. solum vult in Christo JESU ejusque lege nullum esse discrimen quoad justificationem per Baptismum & gratiam ibidem communicatam, de hac enim loquebatur Apostolus. Ad 5. prophetiæ donum utique etiam feminis dari posse, quæ tamen per illud non accipiunt sacrum Ordinem, & Sacerdotes propriè constituuntur, ut idcirco in officio & statu Ecclesiæ eminent, sicuti Clerici ratione status sui supra alios fideles laicos tam viros quàm mulieres præstant. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 995. ubi hanc propositionem Conringij: *Lege divinâ atque eternâ ad verâ Ecclesiæ essentiam Presbyteros aut Episcopos non exigi*, juremeritissimo censent absurdam, si agatur de Ecclesiâ non quacunque possibili, sed de tali, qualem DEUS de facto constituit, & usque ad finem mundi peritura est.

CONTROVERS. LXXX.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

Sacramentum Ordinis cum peculiari ratione hominem sacro DEI cultui destinat, aliquam inde eminentiam dignitatèque ei tribuit, ut tum ipse, tum ea, quæ ipsius sunt, in majori præ cæteris respectu habeantur, nec pari passu cum illis procedatur. Unde Immunitas & Exceptio Clericorum seu Libertas Ecclesiastica breviter à Tannero Tom. 4. D. 7. Q. 4. dub. 5. num. 98. describitur: Jus ac libera facultas utendi fruedique omnibus jurbus exemptionibus & privilegijs, quibus universim seu divino seu humano jure Personæ & res Ecclesiasticæ sunt affectæ. Brevius à Fagnano in cap. cum causa n. 33. de sent. excom. definitur: Libertas, quæ competit Ecclesiasticis Personis & rebus ad eos spectantibus. De hac Immunitate Ecclesiastica multa habent Scholastici & Morales Theologi: item Canonistæ, & ex his breviter Felice Via in summa Juris Canonici: nos ea, quæ ab hæreticis in controversiam trahuntur, paucis expediemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Clerici exempti sunt à potestate Laicali. Ita omnes Catholicici. Probatur. Tum ex c. at si Cleric. c. Clerici. c. cum non ab homine. c. qualiter de judic. c. si diligenti. c. significati de foro competenti. Authent. statuimus de Episcopis & Clericis. Tum quia hâc exemptione Clericorum dignitas commendatur, & major illis honor ac reverentia deferuntur. Atque hanc Ecclesiasticam libertatem omnibus retro sæculis in Ecclesiâ semper viguisse, eruditè ostendit Tanner loc. cit. à num. 101. contra quosdam ejusdem hostes scribere ausos, usque ad Justinianum Imperat. nullum in jure extare privilegium de exemptione Clericorum.

II. *Doctrina secunda.* Clerici non omnino sunt liberi à potestate seculari quoad vim ejus directivam in legibus civilibus, quæ conducunt ad bonum statum Reip. & non repugnant Ecclesiasticis Canonibus, aut ipsi Clericorum statui; imò jure divino Clerici in his facere id tenentur, quod secularis potestas statuit. Ita omnes Catholicici. Prob. 1. ex Script. Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; quod S. Chrysostom. Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, D. Thomas, alijque Interpretes affirmant dictum esse omnibus etiam Monachis, & alijs cujuscunque conditionis hominibus, nempe juxta sensum allatæ doctrinæ; in quem etiam modum loquitur D. Petrus epist. 1. c. 2. v. 13. *Subjecti igitur estote omni humane creature propter DEUM, sive Regi; tanquam præcellenti &c.* Prob. 2. auctoritate Patrum in cit. textus Sac. Scripturæ. Nicolai I. in epist. ad Michaelem Imperatorem sub finem &c. quibus addendus Valentianus piissimus Imperator in epist. ad Episcopos Asiæ apud Theodoretum Lib. 4. hist. cap. 3. Prob. 3. ratione. Quia Clerici sunt etiam cives & membra Reipubl. politicæ. Ergo in politicis rebus, quæ eorum statui non præjudicant, sinere debent se dirigi ad commune bonum, pacem, & tranquillitatem; turpis quippe est omnis pars, que non est toti conformis.

III. *Doctrina tertia.* Clerici in causis spiritualibus nempe Fidem, Sacramenta, sacrificium, divinum cultum, animarumque salutem respicientibus jure divino exempti sunt à jurisdictione Laicorum. Ita omnes Catholicici; è quibus hanc doctrinam latius ostendunt P. Francisc. Suarez in Defens. Fidei Lib. 4. de Immunit. Ecclesiast. cap. 2. Molina Theol. Tom. 1. D. 31. concl. 2. Covarr. pract. quæst. c. 31. n. 2. &c. Fundamentum est, quia harum causarum spiritualium judicium illis solum competere potest, quibus Christus concessit, cum ab isto constitutio illarum emanaverit. Atqui Christus soli Petro, ejusque successoribus judicium illud promisit Matth. 16. v. 18. his verbis: *Tues Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Et confestim eidem adjecit Ioan. 21. v. 17: *pasce oves meas.* Ergo solus Petrus ejusque Successores, & quibus ipse commiserit, hoc judicium habent. Ergo Imperatores, Reges, alijque Principes humani illo carent. Ergo ab istorum jurisdictione in his causis Clerici sunt